

ad arcem, quæ ab ea oppidi parte cum mœnibus erat conjuncta, non nimis communitatam miserunt, qua fore in urbem trajectum cognoverant. Illi per duas propugnaculi intromissi portas (eas Benedictus Peregrinus multa arte diligentiaque, ferreis ad eam rem confectis Vicetiæ malleis vectibusque aperuerat) ad murum oppidi scalas, quas secum attulerant, posuerunt; ut eo superato ad portam, ad quam convenerant, accederent, interfactisque custodibus, atque apertis valvis exercitum admitterent. Ex scalæ cum essent breviores, quam muri altitudo requirebat: ad ejusmodi ejus rei subſidium comparandum, ut alteram alteri alligarent, atque ita longiores eas facerent, se dederunt. In eo dum sunt, signa in oppido ei loco proxima casu concinere cœperunt. illi veriti adventum ipsorum militibus Germanis tribus millibus palam factum esse, qui eam oppidi partem custodiebant, relicts scalis extra propugnacula celeriter se, qua venerant, receperunt: deinde ad exercitum, qui non longe aberat, ut se in oppidum inferret, re infecta magno cum dolore omnium atque molestia redierunt. Hostium præfecti haud ita multo post de plerisque civibus, quos fuisse ejus rei consciens non tam quidem reperissent, quam essent suspicati, graviores pœnas sumperunt. Peregrinus una cum nostris militibus oppido fugiens ad legatos se contulerat: cui Senatus ob facti audaciam atque in rem publicam studium pensionem annuam, quam posteri ejus sequerentur, paulo post dono constituit. Eadem in illorum, quos hostes interfecerant, liberos reipublicæ pietas extitit.

Erat domi lex decemviralis, nemo ut civis, cujus aut filius aut frater aut fratri filius sacerdotium haberet, cum de rebus, quæ ad Pontificem Maximum atque ad rem publicam pertinerent, ageretur, in Senatu esse posset. quam quidem legem eo consilio Patres jusserant, ne, qui suo compendio propter sacerdotiorum adipiscendorum cupiditatem in consulendo duci poterat, ut plus Romanis rebus, quam suæ civitati faveret, ei aut sententiam dicere, aut suffragium ferre in Senatu liceret. eam tum legem

*Lex de sa-
cerdotum
propinquis
a Senatu
amendandis
antiqua-
tur.*